



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PORTUS CARRENIENSIS**\* VICARIATUS  
APOSTOLICUS « PORTUS CARRENIENSIS » APPELLANDUS

IN COLUMBIAE FINIBUS CONSTITUITUR. Spirituali fidelium bono consulentes, Nostram convertimus mentem ad ecclesiam communitatem Vichadaensem in Columbia, quam ad altiore dignitatem evehere. Nos enim, qui gravissimo fungimur munere Supremi Pastoris totius Dominici gregis, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Beniamino Stella, Archiepiscopo titulo Midilensi, in memorata Natione Nuntio Apostolico, concedimus ut tale inceptum ad rem perducatur. Quapropter, sententiam excipientes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa, de Nostrae Apostolicae auctoritatis plenitudine, territorium Praefecturae Apostolicae Vichadaensis - excepta eiusdem parte australi-occidentali quae noviter erectum Vicariatum Apostolicum Portus Gaitani constituet - in novum erigimus Vicariatum Apostolicum *Portus Carreniensis* appellandum. Nos praeterea hunc novum Vicariatum sollicitis concedimus curis Congregationis Sanctissimi Redemptoris. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Beniamino Stella, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 5, pp. 378-379 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana